



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

Disputatio II. De Universalibus in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)



DISPUTATIO II. De Universalibus in genere.

213. **Q**uanta sit tum hujus, tum sequentis Disputationis necessitas, exinde satis liquet; quod benè definire, dividere & argumentari quis haud sciat, notitiam de Universalibus n̄ prius hauserit. Quomodò enim hac sine notitia defines speciem? Quomodò divides suas in species genus, aut genus in sua individua, si, quid genus, quid species, quid individuum sit ignores? Quomodò demonstrabis proprietates, discurre de accidentibus, si, quid sint, non intelligas? Est autem *Universale* vi nominis sui, *Unum versus alia*. i. e. unum dicens ordinem ad multa. *Ut sic* est duplex: *Complexum*, quod est Oratio, quæ multis convenire potest; v. g. *Homo est animal*. Vel est principium aliquod commune, v. g. *Totum est majus suâ parte*. Alterum est *Incomplexum*, quod est res simplex, dicens ordinem ad multa. Hoc rursus variè dividitur. Si enim latissimè sumatur, aliud est *Universale in causando*; estque causa una potens producere plures effectus etiam æquivocos. e. g. *Sol, Deus &c.* Aliud est *Universale in subjektando*; quale est *Materia prima*, quæ est subjectum omnium formarum.

M

Aliud

Aliud est *Universale in significando*; estque vox vel terminus communis plura significans vel æquivocè vel univocè; ut *canis*, respectu canis cælestis & domestici. Aliud est *universale in representando*; estque res una repræsentans multa; ut *Speculum*, *Idea*, vel *Imago*, vel *Cognitio* figuras & res multas proponens. Hæc locum hic non habent, cum non sint strictè & propriè Universalia. Sed restant adhuc duo, nimirum *Universale in essendo* & *in prædicando*; & de his in genere præsens aget disputatio.

ARTICULUS I.

De Essentia Universalis.

214. **D**ico *Universale in essendo* est, *Unum aptum inesse multis*. Ita *Arist.* 7. *Metaphys.* c. 13. Τὸτο γὰρ λέγεται καθόλου, ὃ Πλείοσιν ὑπάρχειν Πέφυκε. Dicitur etiam *Universale metaphysicum*, quia *Metaphysica* agit de esse, vel ente. *Universale in prædicando* est, *Unum aptum prædicari de multis*. Ita rursus *Arist. lib. de Interpret.* tract. 6. c. 7. λέγω καθόλου μὲν, ἐπὶ πλείονων πέφυκε κατηγορεῖσθαι. Dicitur prætereà *Universale logicum*, quia *Logica* agit de prædicationibus. *Universale* hoc logicum distinguitur à metaphysico tantum per *Prædicabilitatem*, quæ est affectio Universalis metaphysici. Hinc advertes duo hæc universalia ratione duntaxat distingui, quatenus ratione prius est esse, quàm prædicari. Si utrumque unâ definitione complecti velis, id quod plures authores faciunt, dices: *Universale*

sale est, *Unum aptum inesse & prædicari de multis*. Ut autem hanc definitionem meliùs intelligas;

215. *Observe*, ad universale strictè tale requiri sequentia. I. Ut sit *unum*, non *unitate numericâ*, vel *individuali*, aut *materiali*, quâ aliquid est hoc numero individuum; nec *Unitate formali* aut *similitudinis*, quâ ante operam intellectûs individua sunt similia; sed *unitate universali* vel *præcisionis* aut *abstræctionis*, quâ natura aliqua, quæ realiter reperitur in multis, abstrahit à singularitatibus & individuationibus. II. Ut sit *multiplex* hoc sensu, ut eadem natura, quæ est una unitate præcisionis, sit apta inesse multis, vel communicabilis multis cum suâ multiplicatione in inferioribus. III. Ut sit *aptum inesse, & prædicari*, h. e. Non requiritur ut actu insit multis, vel de multis actu prædicetur; sed sufficit, si possit inesse & prædicari. IV. Ut sit aptum inesse multis per *identitatem*, h. e. satis non est, ut natura aliqua Communis tantùm insit multis; sed requiritur, ut sit idem cum multis, & quidem secundùm se totam *intensive*. V. Ut sit aptum prædicari de multis *verè, Univocè* (h. e. sub eodem nomine & significatione) ac *divisim*, h. e. per diversas propositiones, v. g. *Homo est animal, Brutum est animal*.

216. Ex his solvenda sequentia argumenta dialectica. I. Deus est Unus & trinus; ergo est unum & multiplex; ergo universale. R. D. *Ant.* est Unus & trinus in eadem ratione. N.

in diversâ. C. Scilicet Unus est in essentia, trinus in personis. 2. Natura divina est Una, & simul est in tribus personis; ergo hæc est universalis. R. D. *Ant.* est una numero, & est in tribus personis absque sui multiplicatione in inferioribus C. est una unitate præcisionis, & est in personis cum sui multiplicatione. N. et si enim dicere possim: Pater est Deus, quia habet naturam divinam, & ob eandem rationem Filius est Deus, & Spiritus S. est Deus; dicere tamen nequeo: & *hi sunt dii*, cum eadem numero natura sit in tribus personis. 3. Natura divina potest prædicari cum sui multiplicatione in inferioribus de Jove, Neptuno, Apolline &c. de his enim verè dico: Hi sunt dii; ergo. R. D. *Ant.* potest prædicari &c. de diis falsis. C. de veris. *subdist.* verè N. falsò C. 4. Anima rationalis inest multis corporis partibus; ergo hæc saltem respectu partium est Universalis. R. D. *Ant.* Anima inest multis partibus per Unionem tantum. C. per identitatem. N. Anima enim prædicari de partibus nequit in recto; quandoquidem dicere non possum: *Pes est Anima* &c. Idem dic de corpore Christi in Eucharistia replicato, quod est in multis aris; *Item* de Deo, qui inest omnibus locis, sed non *per identitatem*; *Item* de ligno bipalmari respectu cujusvis palmi, quia illud singulis palmis non inest per identitatem *secundum se totum intensivè*. *Item* de exercitu respectu multorum militum, ex quibus componitur; quia non inest singulis militibus secundum totum

rum suum esse, nec de singulis prædicari potest in recto.

ARTICULUS II.

De Universali à parte rei.

217. **N**Ota. Universale spectari potest vel materialiter, vel formaliter. *Materialiter seu fundamentaliter* sumptum est natura realis, quæ quidem à parte rei singularis est, ob similitudinem tamen & convenientiam, quam cum aliis naturis habet, formaliter universalis fieri potest. Hoc universale dari à parte rei, dubium esse nequit, cum nemine cogitante convenientia inter multas naturas, & similitudo reperiatur. Sic ante omnem operam mentis in ratione animalis, viventis, corporis, & substantiæ homo & brutum conveniunt. *Formaliter* sumptum spectari potest vel in concreto vel in abstracto. *In concreto* est natura habens universalitatem. *In abstracto* est ipsa forma, sive universalitas. Hoc ultimum actualiter detur à parte rei, non eadem omnium est sententia. Igitur, quid hâc in re sentiam, statuam primò; quid alii hâc in materia statuerint, & quàm benè, postea disquiram.

§. I.

An universale formaliter actualiter detur à parte rei?

218. Dico Non datur. Ita *Arist. lib. I. de Anima c. I.* his verbis: Τὸ δὲ ζῶον τὸ καθόλου ἡτοίον οὐδ' ἐν ἑστί, ἢ ὑστερον. *Animal autem universale, aut nihil est, aut posterius, scilicet ani-*

mâ. Ita *Averroës* 1. *de anima. com. 8. Intellectus facit universalitatem in rebus.* Ita *D. Thomas* 1. p. q. 85. a. 1. & 7. *Metaphys. lect. 13. Intentio universalitatis est ab intellectu. Ratio est: ad universale formaliter tale juxta n. 215. requiritur, ut sit communicabile pluribus inferioribus, & ut nullam involvat individuationem; sive ut sit unum unitate præcisionis, & simul multa in eadem ratione, in qua unum est, etsi diverso respectu, scilicet unum in statu abstractionis, multa verò in statu conjunctionis, in quo secundùm omnia prædicata sua est in singularibus. Sed nihil ejusmodi datur à parte rei; quidquid enim extra intellectum humanum existit, est ultimò determinatum ad singulare, sive est hoc vel illud ens, productum per actionem physicam, quæ semper terminatur ad aliquid singulare; ergo à parte rei non datur universale formaliter tale.*

219. *Obj. 1.* In Petro & Paulo natura humana est una nemine cogitante; ergo à parte rei datur natura formaliter universalis. *R. 1. N. Ant.* non est una, sed sunt duæ naturæ in Petro & Paulo ante operam mentis; cùm differentiis individuantibus sint identificatæ. *R. 2. D. Ant.* est una natura unitate similitudinis & fundamentali. *C.* Unitate præcisionis. *N.* *Si ais.* Petrus & Paulus ante operam mentis non habent naturas diversas; ergo habent unam naturam. *R. D. Ant.* Non habent diversas naturas, i. e. non habent naturas distinctas. *N.* Non habent natu-

naturas diversas, i. e. dissimiles. C. Unitas autem similitudinis non est unitas sufficiens ad universale, cum non tollat distinctionem inter similia. Ad universale autem requiritur talis unitas, vi cuius natura formaliter universalis caret omnimodâ divisione, & distinctione, aliâs non eadem ipsa natura, quæ inesse aut prædicari potest de Petro, inesse quoque aut prædicari poterit de Paulo.

220. *Obj. 2.* Etsi natura humana v. g. in Petro determinata sit *numericè*, determinata tamen non est *specificè*; ergo stante etiam determinatione numericâ, natura humana in Petro manet adhuc indeterminata ratione speciei, & consequenter eadem natura erit adhuc universalis, & communicabilis pluribus etiam ante operam intellectûs. R. N. *Ant.* quod ut falsum esse intelligas, adverte, determinationem vel divisionem specificam sumi posse tum pro ea, quâ genus dividitur in species, quia in hoc casu membra dividenda sunt species: tum pro ea divisione, quâ species dividitur in individua, quia in posteriori hoc casu divisum species est. Hoc supposito, concedunt quidem AA. divisionem primam pugnare cum unitate specifica; secundam verò unitati specificæ nihil obesse contendunt: id quod nos hîc negamus *ex hâc ratione*: quia natura determinata *numericè*, etiam divisa est *specificè*, cum differentia numerica & specifica realiter sint idem; ergo determinatâ realiter unâ, determinata quoque ac divisa est altera. Adde, quod unitas generica tollatur

per divisionem in multas species; ergo & unitas specifica tollitur per divisionem in multa individua. *Si quæras*: An Petrus & Paulus sint ejusdem speciei formalis à parte rei, an verò diversæ? *R.* Cur non etiam quæris, an Archangeli Michaël & Raphaël sint ejusdem coloris vel diversi? Vel an Equus & Elephas habeant alas ejusdem speciei vel diversæ? *Si ais*, in Archangelis non esse colorem, nec in Equo & Elephante esse alam. *Respondeo & ego*: Nec in Petro & Paulo est natura una realiter, unitate indistinctionis & præcisionis; sed sunt in iis duæ naturæ similes. Accedit, Adversarios falsò supponere, à parte rei dari speciem formaliter talem.

221. *Inst.* Divisio sive multiplicitas partium non impedit Unitatem totius; ergo nec divisio numerica, quæ est multiplicitas partium, impedit unitatem universalis, quod est totum. *R. D. Ant.* Multiplicitas partium non impedit unitatem *totius actualis*, quale est homo constans corpore & animâ. C. non impedit unitatem *totius potentialis*, quale est universale N. Hujus ratio ulterior est; quia totum actuale non distinguitur à suis partibus simul sumptis; econtrâ totum potentiale à suis partibus potentialibus simul sumptis distinguitur.

222. *Obj.* 3. Objectum visûs datur à parte rei; ergo universale datur à parte rei. *Prob. Conf.* Objectum visûs est universale; ergo si objectum visûs datur à parte rei, etiam universale &c. *R. D. Ant. probat.* est universale formaliter

maliter tale N. fundamentaliter. C. Nimirum objectum visus est color, prout existit à parte rei cum individuatione, qui certè non est universale, nisi fundamentaliter duntaxat.

223. *Obj. 4.* Universalia teste *Arist.* sunt priora singularibus; ergo actualiter sunt ante singularia. *R. 1.* *Aristoteles* contrarium dicit *lib. 1. de Anima. c. 1.* vid. n. 218. *R. 2.* *D. ant.* sunt priora singularibus prioritate physicâ. N. prioritate logicâ, vel subsistendi consequentiâ, h. e. bene inferuntur ex singularibus. C.

Thesin hanc magis adhuc elucidabunt §§. sequentes, in quibus eorum sententias proponemus, & refutabimus, qui universale ante operam intellectûs assumpsisse videntur.

§. II.

An detur Universale Platonicum?

224. *Nota.* De Platone socratis discipulo, ac postea *Academicorum* parente, viro & natalibus & scientiis clarissimo communis est opinio, ipsum pro universali admisisse Ideas à singularitatibus separatas. Est autem idea, prout hîc accipitur, species quædam, in qua aliquid cognoscitur, vel exemplar, ad quod agens intellectuale producit effectum. Est duplex, in- & externa: *Interna* est cognitio passivè sumpta in mente v. g. artificis existens, modumque rei faciendæ repræsentans. *Externa* est imago, quam artifex extra se positam imitatur. *Internam* nemo Deo negat, nisi qui vult Deum cæco modo agere; hæc autem in Deo nil aliud est,

quàm ipsa Dei essentia, à creaturis suo modo participabilis. Externam nemo Deo affingit, nisi qui Deum ab externis dependere contendit, id quod sonat imperfectionem. Porro multi ex iis, qui Aristotelem secuti sunt, asseverarunt, Platonem affinxisse Deo ideas externas in concavo lunæ stabulantes, & à singularitatibus præcisas, v.g. *Hominem in communi*, *Ranam in communi*; ad quas ideas respiceret Deus, dum efformat hominem vel ranam in particulari. Negant hoc Platonici, & *S. Augustinus* id à divini Platonis subtilitate longè alienum fuisse arbitratur. Prætereà teste Cicerone & Aristotele, statuit Plato, mentem ab æterno in sydere quodam extitisse, cui pariter ab æterno impressas esse docuit ideas, rerum omnium repræsentativas, ingenerabiles, incorruptibiles, & communicantes se entibus singularibus. *Status quæstionis* est: An ejusmodi ideæ (præscindendo, utrùm Plato eas reverà admiserit, an verò ab Aristotelicis ex invidiosa æmulatione ipsi fuerint affictæ) sint verum & strictè dictum universale?

225. *Dico.* Non sunt. *Ratio prima.* Quia ideæ ejusmodi inesse multis per identitatem, aut prædicari de multis in recto non possunt, cum sint realiter distinctæ à multis. *Ratio secunda.* Quia præter Deum aliquid æternum, ingenerabile & incorruptibile non datur. *Ratio tertia.* Quidquid datur à parte rei, determinatum & singulare est, ex n. 218; sed ideæ ejusmodi essent à parte rei; ergo.

226. *Obj.*

226. *Obj. 1.* Universale debet separatum esse à singularitatibus, debet æternum esse, & immutabile; sed ideæ platonice sunt separatae à singularitatibus, sunt æternæ, & immutabiles; ergo sunt verum universale. *R. D. maj.* debet *verè* separatum esse à singularitatibus, debet esse æternum & immutabile quoad essentiam, i. e. quoad connexionem metaphysicam prædicati cum subjecto. *C.* Debet *fictè* separatum esse à singularitatibus, debet esse æternum & immutabile quoad existentiam. *N.* Ideæ autem platonice *fictè* duntaxat separatae sunt à singularitatibus, cum existant à parte rei, & consequenter singulares sint.

227. *Obj. 2.* Dantur effectus, quorum nulla causa particularis assignari potest; v. g. rana, vel aliud insectum ex putri; ergo horum causa erit natura communis, sive universalis Platonica. *R. T. ant.* Quia Physici est, horum causas investigare, qui fortè dicet, effectus ejusmodi procedere à particularibus causis secundis heterogeneis, vel à Deo causarum secundarum defectum supplente. *N. Cons.* Vel potius *consequentis suppositum*: cum hujusmodi argumentis non probetur, naturas communes Platonicas esse universalia strictè talia, i. e. *in essendo* aut *prædicando*, sed tantum *in causando*, quæ propriè universalia non sunt. Ad hæc si pro causa talium effectuum v. g. ranam in communi assignes; dicam & ego, illam existere in lacu in communi, illam coaxare in vere in communi. &c. Ecce quàm ridiculæ sequelæ ex tuo argumen-

to deduci possint! *Si ais*, saltem dantur ideæ communes & universales. *R. D.* Dantur in mente *C.* dantur extra intellectum. *Subdist.* Dantur ideæ universales strictè tales *N.* improprie universales, v. g. in repræsentando. *C.*

§. III.

An Detur Universale Nominalium?

228. *Nota.* *Nominales* non alia esse universalia contendebant, quàm voces & conceptus formales pluribus rebus communes; unde etiam à vocibus seu nominibus *Nominales* postea audièrunt. Horum doctrinam ab interitu (id quod commune opinionum à communi aliorum iudicio abhorrentium fatum est) vindicavit Guillelmus Ochamus Scoti discipulus. *Conceptus* Universalia naturalia dixèrunt; quia ex natura sua objecta repræsentant. *Voces* appellaverunt Universalia arbitraria; eoquòd objecta sua non ex natura, sed ex instituto significant.

229. *Dico.* Nec voces, nec conceptus formales sunt verum universale. *Ratio est.* Quia nec voces, nec conceptus formales sunt unum aptum inesse aut prædicari de multis. *Prob. 1. pars.* Si tantum vox prædicaretur de multis (quòd enim non sit universale *in essendo*, ipsi Patroni hujus sententiæ tenent) ergo hæc v. g. propositio: *Homo est animal*, faceret hunc sensum: *vox hominis est vox animalis*, quod certè ridiculum & manifestè falsum est. *Prob. 2. pars.* Quod non est primò & per se prædicabile, id non est universale metaphysicum aut logicum;
sed

sed conceptus non sunt primò & per se prædicabiles; aliàs hæc propositio: *Domus ista spectat ad me*, haberet hunc sensum: *conceptus istius domus est idem cum conceptu ad me spectantis*, quod nemini non ridiculum videtur. *Confir. S. Anselmus lib. de incarnat. verbi. c. 2.* Dialecticos ab hac *Nominalium* sententia deterret his verbis: *Cautissimè ad sacræ pagine quæstiones accedant; sunt monendi illi utique nostri temporis Dialectici (imò Dialecticæ hæretici) qui quidem non nisi statum vocis putant esse universales substantias.* Sub finem hæc addit: *Qui enim nondum intelligit, quo modo plures homines in specie sunt unus homo, qualiter in illa secretissima, & altissima natura comprehendet, quo modo plures personæ, quarum singula quæque est perfectus Deus, sint unus Deus?* Accedit autoritas *Arist.* qui *lib. de Interpret. c. 5.* asserit, *rerum quasdam esse universales, quasdam singulares.* Et *Poster. c. 2.* inquit: *Universalia intellectu, singularia sensu cognosci.* Et *lib. 7. Metaphys. c. 14. &c.* Disputans adversus Platonem, non reprehendit illum, quod senserit res esse universales; sed quod res communes admiserit extra singularia.

230. *Obj. 1.* Conceptus possunt prædicari de pluribus; ergo sunt universale in prædicando. *R. D. ant.* Conceptus *objectivi* possunt prædicari de pluribus. *C.* Conceptus *formales*, *Subdist.* Possunt prædicari *ut quod N. ut quo C.* *Si ais*, soli conceptus formales obtinent locum prædicati; ergo hi soli prædicantur *ut quod. R. D. ant.* Obtinent locum prædicati *formalis C.*
præ-

prædicati *objectivi*. N. *Si instes*. Bene dico: Hic conceptus est conceptus; *item* hæc vox est vox; ergo conceptus & voces prædicantur *ut quod*. R. D. *Conf.* Conceptus & voces formaliter sumptæ prædicantur *ut quod* N. materialiter sumptæ. C. *Si urgeas*. Teste *Arist. in Categoriis. c. de substantia*. Species & genera substantiarum non sunt substantiæ. *Infers*: ergo erunt conceptus. *Subsumis*. Sed species & genera substantiarum sunt universalia; ergo conceptus sunt universalia. R. Explico *Aristotelem*. Species & genera substantiarum non sunt substantiæ *primæ* C. *secundæ* N. substantiæ *primæ* sunt singulares, quia hæc omnibus aliis substantiant tanquam primum fundamentum. Substantiæ *secundæ* sunt universales, quia non substantiant aliis omnibus substantiis, v. g. singularibus, *vid. Dialect. P. Du Trieu. a. 1. de substantia*. Distinguitur tamen substantia *secunda* ab accidentibus, cum accidentia sint in subiecto in hæfionis: substantiæ autem *secundæ* insunt primis essentialiter. *Vid. P. Du Trieu. loc. cit.*

231. *Obj. 2.* Solæ voces prædicantur de pluribus univocè & divisim; ergo hæc erunt universale. *Prob. ant.* Solæ voces habent sensum; ergo solæ voces prædicantur univocè, h. e. in eodem sensu. Deinde solæ voces habent singulare & plurale; ergo hæc solæ prædicantur divisim, i. e. de singulis in singulari, & de pluribus in plurali. R. D. 1. *partem ant.* Solæ voces habent sensum objectivum N. habent sensum formalem. C. D. *etiam 2. partem.* Solæ

voces habent singulare & plurale grammaticale C. objectivum. N.

232. *Observe I.* Non negatur conceptus & voces esse universale *in significando* aut *repræsentando*, quod per se singulare esse potest; sed negatur ea esse universalia strictè talia *in essendo* & *prædicando*. II. Sicut ab aliis rebus singularibus abstrahi potest universale, ita à multis conceptibus aut vocibus præscindi potest ratio communis, quæ verè sit universalis. Verùm hæc non est *Nominalium* sententia, sed Peripateticorum, ut videre est apud *Conimbricenses in Præfat. Porphyrii* q. 1. a. 2.

§. IV.

An detur universale Fonseca & Cajetani?

233. *Nota 1.* Triplicem naturæ statum admittit *Fonseca*, nimirum statum essentialis sive possibilitatis, statum contractionis sive existentiae, & statum abstractionis sive objectivum. In *statu essentialis* voluit naturam esse priorem suis individuis, & indifferentem, ut contrahatur ad hoc vel illud individuum, & pro hoc statu ante omnem intellectum naturam voluit esse verè universalem. Hanc genuinam *Fonseca* fuisse sententiam multi tum in impressis, tum in manuscriptis tradunt, contra quos *Fonsecam* defendit *P. Alev. Tract. 1. Disp. 2. c. 1. §. 3. subsect. 4.* ubi, hunc statum etiam secundum *Fonsecam* extra intellectum non dari, ex ipsis *Fonseca* verbis probat & deducit. In *statu contractionis* docuit naturam universalitatem suam rursus *Amittere*

tere

tere, eoquòd ad differentiam individualem contrahatur. In *statu abstractionis* naturam denuò fieri universalem per intellectum tradidit, cujus ope abstrahitur à singularitatibus. Statum hunc tertium defendam infrà. *Status igitur quæstionis* hìc tantum est de statu possibilitatis, utrùm pro hoc statu natura sit verè universalis etiam extra intellectum?

234. *Nota 2.* Cardinalis Cajetanus unitatem quandam negativam, ipsi rei extra intellectum inexistentem, ad universale sufficere dictitabat. Negativam hanc unitatem docuit consistere in hoc: quod natura Petri v. g. ope distinctionis mediæ Scotisticæ à singularibus distincta, nullam habeat repugnantiam, ut sit in Paulo vel Joanne: quòd autem Paulo vel Joanni inesse actu non possit, Petreitatem in causa esse, cui actu est affixa.

235. *Dico 1.* Natura in statu possibilitatis extra intellectum posita non est universale. *Ratio est primò.* Quia nulla natura extra intellectum indifferens est, ut sit in hoc vel illo individuo, cum natura possibilis eadem omninò sit, quæ est existens; sed existens indifferens non est; ergo nec possibilis indifferens erit. Deinde natura possibilis v. g. Petri identificatur cum Petri singularitate possibili; ergo indifferens esse nequit, ut sit in Petro vel Paulo; aliàs vel singularitas Petri erit realiter distincta ab ejus natura, vel certè Petrus posset esse alius à se ipso, cum posset esse Paulus, vel alius quicunque. *Ratio est secundò.* Talis natura nequit actu

actu esse in multis per veram identitatem, & cum vera sui multiplicatione; eoquod *disjunctivè* duntaxat in hoc vel illo individuo sit; hoc enim in sententia hac nisi admittatur, natura divina maximè singularis àb universali excludi non poterit.

236. *Obj.* Natura v. g. Sempronii in statu possibilitatis poterat non contrahi ad Sempronium; ergo erat indifferens, ut inesset sempronio, vel alteri. *R. D. Ant.* poterat non contrahi, h. e. poterat relinqui in statu possibilitatis, & non produci. *C. h. e.* poterat etiam contrahi ad Titium, vel Deus ex Sempronio facere poterat Titium, aut illum huic identificare. *N. Si opponas.* Natura Sempronii in statu possibilitatis nondum est contracta ad Sempronium; ergo adhuc indifferens est. *R. D. Ant.* nondum est contracta ad Sempronium possibilem. *N.* Ad actu existentem. *C. Si instes.* Natura Sempronii in statu possibilitatis est natura humana; sed hæc realiter inest multis; ergo natura Sempronii potest inesse multis; ergo erit verè Universalis. *R. D. maj.* est natura humana cum individuatione, i. e. est *hæc* natura humana. *C.* Sine individuatione. *N. D. etiam min.* Natura præcisa àb individuatione inest multis. *C.* contracta ad individuationes. *N.* Ex his quoque advertes allatum syllogismum esse vitiosum.

237. *Dico 2.* Nec datur natura negativè una à parte rei, & consequenter Universale Cajetani nullum est. *Probat.* Natura Petri v. g. non potest non dicere repugnantiam, ut sit in Paulo; ergo natura negativè una non datur.

N

tur.

tur. *Prob. ant.* Petreitas non potest non dicere repugnantiam, ut fit in Paulo; ergo etiam natura Petri. *Prob. conf.* Natura Petri & Petreitas à parte rei non distinguuntur; ergo sicut Petreitas non potest non dicere repugnantiam, ut fit in Paulo, ita & natura. Quæ obijci hîc possunt, facilè solves ex §. 1. *hujus art.* & ex §. 5. immediatè subsequente.

§. V.

An Detur Universale Scotistarum & Respectivistarum?

238. *Nota. 1.* *Scotista* in doctrina de universali non sunt consentientes. Licet enim, principiis suis de distinctione formali ex natura rei innixi, in hoc conveniant, quod doceant universale consistere in natura communi, singularibus quidem realiter identificatâ, at simul formaliter ex natura rei ab hæcceitatibus distincta; Si tamen ex iis postules, per quid natura communis sit, aut universalis? *Scotistas* in *Scotistas* arma vertere intelliges. Alii dicent, naturam esse communem *per inexistentiam*, ita, ut una eadèmq; natura realiter reperiat in omnibus, v. g. eadem natura humana in omnibus hominibus. Alii respondebunt naturam esse Universalem *per unitatem privativam*, quatenus natura per adventum differentiarum individualium & specificarum privatur aliquâ unitate positivâ, quam ex se deberet & posset habere. Hoc sic explicant: Natura humana v. g. per Pauleitatem & Petreitatem redditur quidem

dem

dem multiplex, remanet tamen una privativè, quia privatur unitate sibi debitâ. Alii asserent naturam esse universalem *per unitatem indifferentia*, quatenus natura humana v. g. non magis determinata est ad Petreitatem, quàm ad Pauleitatem, vel aliud quodvis individuum. *Vid. P. Fr. Sebast. Dupasquier. Disp. 3. Logica q. 3. Conclus. 2. & P. Joannem Bapt. de Bened. Tom. 1. lib. 2. Cap. 3. & 4.*

239. *Nota 2. Respectivista* contendunt universale verè & adæquatè tale stare in pluribus individuis similibus. Sic enim arguunt: talia similia sunt multa, ut patet. Deinde sunt quid unum, etiam ante operam mentis, quia habent unitatem convenientiæ & similitudinis; ergo sunt universale, & quidem extra intellectum.

240. *Dico 1. Non datur universale Scotticum. Ratio communis est*, quia falso nititur fundamento, nimirum distinctione mediâ, quam non dari, n. 173. probatum est. Prætereà contra allatas n. 238. Sententias pugnant sequentes rationes. 1. Si natura v. g. humana esset universalis per inexistentiam, vel per unitatem formalem positivam, ut Dupasquier refert, ita, ut una eademque natura esset in omnibus hominibus, ergo Petrus, Paulus, Judas &c. quoad naturam essent identificati; sed hoc dici nequit; ergo. *Prob min.* Aliàs eadem natura existere simul posset in cælo, & in orco, posset simul mori & renasci saltem in diversis hominibus &c. *Item* in creatis foret

myfterium longè admirabilius myfterio Trinitatis; in Trinitate enim una natura eft in tribus Perfonis; verùm una natura humana effer in individuis infinitis. *Nec iuvat dicere*, quod in Trinitate una natura fingularis fit in tribus Perfonis; econtra in creatis natura fit in multis formaliter duntaxat una, non autem *numericè* aut *individualiter*. Nam *contra eft*; ficut Paternitas, filiatio non multiplicant naturam divinam, fed folas Perfonas, quæ per relationes ejusmodi conftituuntur; ita nec Petreitas & Paulitas multiplicant naturam humanam, cum eam non conftituant, fed conftituant tantum individua: quod autem non eft conftitutum, illud nec eft diftinctivum. 2. *Unitas privata* fuperius allata videtur omninò ficta. Sicut enim cæcus non benè diceretur *videns privativè*; ita nec natura in fingularibus unitate fuâ privata benè denominatur *una privativè*. Deinde unitas illa, quâ natura privat, vel effer naturæ essentialis, vel ejus proprietates? fed nec essentialia, nec proprietates feperabilia funt realiter à natura. Denique unde folidè probatur, quod naturæ debeatur alia Unitas, ac ea, quam habet in fingularibus? Ad refutandam *Unitatem indifferentiæ*, vide dicta de natura in ftatu poffibilitatis n. 235. & de univerfali Cajetani n. 237.

241. *Obj. 1.* Natura modò in Petro & Paulo exiftens habet unam eandemque definitionem; ergo in Petro & Paulo erit actualiter formaliter una eademque natura. R. D. ant. Natu-

Natura *abstracta*, & quæ est in Petro & Paulo, habet unam definitionem *precisivam*. C. Natura *contracta*, & ut est in Petro & Paulo, habet unam definitionem. N. Si enim Petrus definiatur adæquatè, ut est à parte rei, non sufficit dicere: *Est animal rationale*; sed dicendum foret: *Petrus est hoc animal rationale. Si ais.* Natura humana habet saltem unam definibilitatem à parte rei; ergo ratione hujus una erit, & universalis. R. D. *Ant.* Habet unam definibilitatem fundamentalem; fundamentaliter tantum distinctam à singularibus. C. habet unam definibilitatem actualem, formaliter ex natura rei distinctam à definibilitate singularitatum. N.

242. *Obj. 2.* Petrus & Paulus magis conveniunt nemine cogitante, quàm Petrus & Melampus; ergo erunt unum unitate universalis. R. D. *Ant.* Magis conveniunt unitate similitudinis. C. Unitate identitatis. N. h. e. Petrus & Paulus conveniunt in pluribus prædicatis essentialibus, & operationibus, quàm Petrus & Melampus. Petrus enim & Melampus sunt differentes inter se; Petrus verò & Paulus sunt tantum distincti realiter. Hoc ipso autem, quod etiam distincti duntaxat sint, inter eos non est identitas, adeoque nec unitas universalis. *Si reponas.* Natura humana nemine cogitante est divisa à Petreitate, Pauleitate & cæteris individuationibus, sicut est divisa à natura equina, leonina &c. ergo. *Prob. ant.* Natura humana non includit Petreitatem &

Pauleitatem; aliàs omnes homines essent Petri & Pauli; ergo. R. D. *Ant. probat.* Non includit Petreitatem &c. realiter & identicè. N. formaliter & in conceptu. C. Subjunctam verò antecedentis probationem nego. *Probas autem sic.* Quidquid includit natura, convenit omnibus & singulis individuis; ergo si includat Petreitatem & Pauleitatem, omnes homines erunt Petri & Pauli. R. I. Hoc argumento jugulatur ipsum universale scotisticum; sic enim ex eodem antecedente infero: ergo si natura includit realiter universalitatem, hæc conveniet omnibus individuis, & tot erunt naturæ universales, quot erunt individua. R. 2. D. *Ant.* Quidquid natura includit in suo conceptu essentiali, convenit omnibus individuis. C. quidquid includit tantum realiter. N.

243. Pro solvendis objectionibus *Observa* adhuc I. à parte rei non datur genus, species, differentia *formaliter*, sed solum *fundamentaliter*. Hinc canis & homo non differunt realiter specie logicâ formali, sed fundamentalitaxat, & physicâ. II. Petrus & Paulus habent distinctas essentialiter definitiones adæquatas, h. e., illis realiter sumptis commensuratas; licet non habeant distinctas essentialiter definitiones inadæquatas, illis objectivè sumptis commensuratas. III. Falsum est, illa esse unum unitate universali, quæ non differunt; cum ista aliam non habeant unitatem, quam unitatem similitudinis; ad universale autem requiritur unitas identitatis & indistinctionis. IV. Non sequi-

sequitur: Duo quanta indivisa, i. e. unita, sunt unum quantum; ergo duæ naturæ indivisæ sunt una natura. Nam *disparitas est*: quia duo quanta unita habent unam tantum indivisionem, i. e. Unam negationem separationis. Econtra duæ naturæ habent duas indivisiones, cum sint bis unum; hinc etiam dicuntur plures.

244. *Dico 2. Universale Respectivistarum non est verum universale. Ratio est 1. Quia non est verè unum excludens omnem pluralitatem numericam; quandoquidem similitudo essentialiter dicit multa, cum nihil sibi ipsi simile esse possit. Nec juvat dicere, similitudinem excludere pluralitatem numericam in ratione similitudinis, cum una duntaxat sit similitudo. Nam etiam dissimilitudo non dicit pluralitatem in ratione dissimilitudinis, sed tantum in ratione dissimilium; nec tamen dissimilitudo est unitas sufficiens ad universale. Requiritur proinde ad universale talis unitas, cujus conceptus formaliter non includit pluralitatem, id quod unitati similitudinis non convenit. Ratio est 2. Hoc universale vel distinguitur ab universali fundamentali, quod communiter admittitur, vel non distinguitur? Si distinguitur, assignent Respectivistæ in quo disconveniat. Si verò non distinguitur; ergo non est propriè universale, sed potius fundamentum universalis formaliter talis.*

245. *Obj.* Petrus & Paulus sunt similes in natura; ergo habent eandem naturam. R. N.

Ant. & Cons. *Antecedens* quidem, quia propriè

priè non sunt similes in *natura*, sed in *naturis*.
Conf. autem nego, quia potius sequitur hoc:
 ergo habent distinctas naturas, ex ratione 1.
 n. 244. data. Hinc Theologi quoque negant
 Personas Ss. Trinitatis esse propriè similes in
 natura; quia habent eandem naturam. *Si ais*,
 similitudo juxta Philosophum fundatur in uni-
 tate; Sic enim inquit *Arist. 5. Metaphys*, *Simi-*
lia verò, quorum qualitas est una; ergo quæ
 similia sunt, unum sunt. *R. D. Ant.* fundatur
 in unitate fundamentali C. in unitate formali
 & indistinctionis. N. Tò *Una* in textu Ari-
 stotelico non indicat indivisionem qualitatis à
 parte rei, sed idem significat ac *talis, qualis*;
 ita, ut sensus sit: Similia sunt, quorum unius
 qualitas *talis* est, *qualis* est alterius; sicut dum
 dicit, *Æqualia sunt, quorum quantitas una est*,
 sensus est iste: æqualia sunt, quorum unius
 quantitas *tanta* est, *quanta* est alterius. *Si ur-*
geas: Talis est unitas qualitatis inter similia,
 qualis est unitas substantiæ inter identifica-
 ta; *R. N. Probas, Arist.* sic ait: *Eadem sunt,*
quorum una est substantia; Similia, quorum qua-
litas una; ergo juxta *Aristotelem* eodem mo-
 do differendum est de unitate identifierum
 & similium. *R. N. Conf* identitas enim inter-
 cedere nequit inter distincta; econtrà similitu-
 do non potest non intercedere nisi inter distin-
 cta; igitur *Aristoteles* intelligi pariformiter ne-
 quit de unitate identifierum, & similium.
Si dicas denique: Similitudo saltem nequit fun-
 dari in unitate fundamentali, aliàs fundaretur
 in

in se ipsa. *R. D. Assert.* Nequit fundari in unitate fundamentali, quæ sit ratio fundandæ similitudinis. *N.* Quæ sit ratio fundandæ unitatis ad universale requisitæ. *C.* Fundamentum proximum similitudinis est hoc, quod natura Petri v. g. talis sit, qualis est natura v. g. Pauli. Fundamentum autem proximum unitatis ad universale requisitæ est ipsa similitudo, sive convenientia, vel ut alii dicunt identitas materialis.

ARTICULUS III.

De Causa efficiente universale.

246. *Nota.* Ex iis, quæ hæctenus de universali dicta sunt, pronum est conjicere *primò*, quod *causa Materialis*, sive subiectum universalis sit natura realis, non *ut*, sed *quæ* est à parte rei, & *ut* objectivè existit in intellectu. *Secundò*, quod *causa formalis*, sive forma universalis sit universalitas, sive Unitas communicabilis, h. e. apta, ut multis insit, & de multis prædicetur. Cùm autem ejusmodi natura una & apta à parte rei non detur, id quod probatum hucusque fuit, causa ejus efficiens hic venit investiganda: Igitur tria hoc in articulo in quæstionem vocantur. *Primum est*: An universale formaliter tale fiat per intellectum? *Secundum est*: Quomodò fiat? *Tertium est*: An actus faciens universale sit *Comparativus*, an *absolutus*?

§. I.

Au Universale fiat per Intellectum?

247. *Dico* Universale fit per intellectum. *Ratio est* 1. Datur Universale ex communissima & Antiquorum & RR. Philosophorum sententia; ergo datur vel ante, vel post operam intellectûs. *Subsumo.* Sed non datur ante operam intellectûs, ut præcedentes §§. evincunt; ergo post eam, & consequenter fit per intellectum. *Ratio est* 2. Fieri universale formaliter, est fieri unum aptum inesse & prædicari de multis; sed hoc fit per intellectum. *Prob. min.* Fieri unum aptum &c. est depurari à differentiis individuantes, quæ à parte rei determinant rem ad hoc vel illud esse, ita, ut una eademque res pluribus communis esse non possit; sed hoc fit per intellectum, alia enim effectûs hujus causa assignabilis non est; ergo. *Confir. Auctoritate.* Verba Aristotelis *Vid.* n. 218. S. Thomas. *Opusc.* 55. *de Universalibus*, ubi hoc Boëtii dictum (*Universale, dum intelligitur, singulare, dum sentitur*) dilaudat, hæc subjungit: *Quia una & eadem natura, que singularis erat, & individuatur per materiam in singularibus hominibus, efficitur postea universalis per actionem intellectûs &c.* *Opusc.* 56. sic habet: *Debes scire, quod homo non dicitur universalis, nisi quia consideratur universaliter. &c. &c.*

248, *Obj.* 1. Universalis subjectum est natura, forma est universalitas; sed neutrum fit
per

per intellectum; ergo. *Prob. min.* Natura fit pponitur ante intellectum, & universalitas non est operabilis ab intellectu, cum non sit distincta a natura; ergo. R. D. *Ant. probat.* Natura *contracta* supponitur ante intellectum, & Universalitas *abstractum* sumpta non est operabilis ab intellectu. C. Natura *abstracta* supponitur, & universalitas *concretum* sumpta non est operabilis ab intellectu. N. *Si ais*: Objectum motivum intellectus non fit ab intellectu; sed universale est objectum motivum intellectus; ergo non fit ab intellectu. R. D. *Min.* Universale *fundamentaliter* tale est objectum motivum, i. e. est objectum movens intellectum, ut naturam abstrahat. C. Universale *formaliter* tale est objectum motivum N. hoc posterius est objectum terminativum, utpote partus intellectus abstrahentis. *Si reponas*: Natura universalis habet esse suum independentem ab intellectu; ergo non fit per intellectum. R. D. *Ant.* Habet esse suum quoad prædicata primo-intentionalia independentem ab intellectu C. quoad prædicata secundo-intentionalia. N. *Si urgeas.* Intellectus facit tantum concretum hoc: *Cognitum*; non autem hoc: *Universale*; ergo. R. D. *Ant.* Facit tantum concretum hoc, *Cognitum*, immediate, & formaliter. C. Facit tantum hoc concretum mediate N. Intellectus mediate, in actu exercito, & quasi causa efficiens facit etiam hoc concretum: *Universale*; hoc ipso enim quod naturam absque individuationibus cognoscat, separat ab iis naturam, & sic separando facit universale. 249.

249. *Obj. 2.* Intellectus est potentia singularis; ergo nequit facere universale. *R. D. Ant.* Est potentia singularis tam *formaliter*, & *in essendo*, quàm *virtualiter*, & *in representando*. *N.* Est singularis *formaliter*, & *in essendo* duntaxat. *C. Inst. 1.* Etiam idea representans naturam universalem singularis est; ergo nequit intellectus per eam facere universale. *R. D. Ant.* Singularis est *entitative* sumpta, & ut *active* representat. *C.* Singularis est *representative* secundum esse representatum. *N. Inst. 2.* Intellectus humanus dependet à sensibus, qui non nisi singularia attingunt; ergo & intellectus non nisi singularia attingit. *R. D. Ant.* Dependet à sensibus *inchoative*, & quoad rem cognoscendam. *T.* Dependet à sensibus *perfective*, & quoad modum cognoscendi. *N. Ant. & Conf. h. e.* Intellectus ordinariè nequit inchoare cognitiones suas, nec potest aliud cognoscere (si ipsas cognitiones, essentias & operationes spirituales &c. excipias) nisi quod ei à sensibus proponitur; potest tamen rem per sensus propositam cognoscere vel adæquatè vel inadæquatè. *Inst. 3.* Quidquid intellectus cognoscendo facit, semper est hoc, & hoc, sive singulare; ergo non facit universale. *R. D. Ant.* Quidquid facit *elicitivè*, *immediatè* & *subjectivè*, est singulare. *C.* quidquid facit *representativè*, *mediantibus cognitionibus præcisivis*, & *objectivè*, est singulare. *Subdist.* est singulare in ratione objecti, h. e. hoc universale, est hoc objectum hujus cognitionis. *C.* est singulare in ratione
unius

unius objectivè incommunicabilis. N. *Inst.* 4. Quidquid intellectus facit *effectivè immediate* &c. est singulare; ergo & illud quod facit *repræsentativè* &c. R. N. *Conf. Disp. est.* Id, quod facit modo priori, physicè àb intellectu producitur; effectus autem physicus est singularis, cum omnis actio physica terminetur ad aliquid determinatum. Econtrà quod facit repræsentativè, illud non producitur physicè àb intellectu, sed fit ab eo mediatè & objectivè tantum.

250. *Obj.* 3. Quod fit per intellectum, est sola cognitio; sed hæc non est universale; ergo quod fit per intellectum, non est universale. R. D. *Maj.* Quod fit per intellectum *effectivè, subjectivè, & per modum repræsentantis*, est sola cognitio. C. Quod fit *objectivè, & per modum repræsentati*. N. *Si ais.* Cognoscibile est ante cognitionem; sed universale est cognoscibile; ergo est ante cognitionem, ergo nequidem objectivè fit per intellectum. R. D. *Maj.* Cognoscibile *speculativè & purè tale* est ante cognitionem. C. Cognoscibile *practicè*, quod in actu exercito formaliter fit per ipsam cognitionem. N. Universale non est quid purè & speculativè tantum cognoscibile, sed prætereà est aliquid factibile per cognitionem, per quam natura àb individuationibus separatur, i. e. sine illis repræsentatur. *Si infer.* Ergo Universale erit in intellectu. *Subsumis.* Sed in intellectu nil est, nisi conceptus; ergo Universale erit conceptus. R. D. *Subsumpt.* In intellectu nil est *subjectivè, & ut repræsentans*, nisi

con-

conceptus. C. Nil est objectivè, & ut repræsentatum, nisi conceptus. N.

§. II.

Quomodo Universale fiat per intellectum?

251. *Nota 1.* Neoterici docent, Universale fieri, quando intellectus subjectum à modis separat, vel à circumstantiis hoc versu comprehensis: *Forma, figura, locus, tempus, stirps, Patri, nomen.* Econtrà naturam vel subjectum reddi singulare tradunt, quando circumstantiæ hæ, & modi superadduntur. Contra hanc sententiam sequentes militant rationes: *1ma.* Hæ circumstantiæ non sunt ipsa ratio formalis individuationis; cùm nec *forma*, nec *figura*, nec *locus*, naturæ ullius entis identificetur, quandoquidem quilibet horum modorum ab entis essentia separabilis est; reliquæ autem circumstantiæ in pluribus eadem numero reperiuntur; ergo quantumcumque natura ab his circumstantiis abstrahatur, communicabilis tamen pluribus esse non poterit, ab ipsa individuatione n̄ simul separetur. *2da.* Natura v. g. humana non inest his circumstantiis identicè, sunt enim accidentia mutabilia & variabilia; ergo nec de iis prædicari in recto potest: quis enim hanc prædicationem etiam in sensu reali veram esse tuebitur? *Hæc forma, hæc figura, hic locus &c. est homo.* Sicut in sensu reali vera est hæc: *Petritas est homo.* Nec obstat quod vera sit hæc prædicatio: *Sic formatum, sic figuratum*

ratum, sic locatum est homo. Nam præter hoc, quod hæc prædicatio indirecta sit, & impropria, natura humana non prædicatur in recto de figura hac, vel hoc loco; sed de solo subjecto. Hinc dicta prædicatio sic resolvitur: *Subjectum, vel homo habens hanc formam, hanc figuram, hunc locum, est homo;* quæ prædicatio indirecta est, vel certè identica, adeoque non est universalis. Si verò *Cartesiani* allatam prædicationem sic resolvant: *Hoc subjectum, vel hic homo, aut Plato habens hanc figuram &c. est homo;* erit quidem prædicatio universalis; Verùm præter circumstantias assignatas per *hoc*, & per *Platonem* importatur necessariò aliquid aliud in subjecto, aliàs hæc resolutio diversa non foret à priori. Ex his colliges, hanc Neotericorum methodum formandi universale admitteri non posse.

252. *Nota 2.* Peripatetici hunc tradunt universale formandi modum. Præprimis supponunt axioma Philosophis usitatissimum: *Intellectus potest divisa adunare, & adunata dividere.* h. e. potest adunata *identitate veri* dividere seu distinguere intentionaliter, & distincta realiter, intentionaliter adunare, sive per modum unius sibi repræsentare. Quæ enim unione duntaxat physicâ adunantur, ea dividere, & divisa hoc modo adunare aliarum quoque causarum ac potentiarum munus est. Deinde in duas præcipuè classes dispartiuntur. Alteram constituunt *Objectivistæ*, *Formalistæ* conflant alteram. *Objectivistæ* sic docent: 1. Singularia ejusdem natu-

ra

ræ emittunt species sensibiles in sensus. 2. Sensus his speciebus imbuti formant ideam materialem repræsentantem singularia, v. g. oculus visionem. 3. Objectum mediante ideâ materiali species corporatas propagat ad phantasiam. 4. Phantasia unâ cum speciebus istis format ideam phantasticam, sive phantasma materiale singularium. 5. Quia Phantasia speciem materialem transmittere ad intellectum, qui spiritualis est, non potest, hinc menti humanæ, in ordine ad cognitionem fabricandam, congenita est virtus species spirituales, seu virtuales rerum ideas ad similitudinem phantasmatum à quibus objective determinatur, formandi, & hæc virtus vocatur *Intellectus agens*. 6. Virtuales rerum ideas (quæ nondum omninò à singularitatibus depuratae sunt, quandoquidem nondum sunt ipsæ formales rerum cognitiones, sed Virtuales duntaxat, earumque semina) *intellectus agens* imprimat *intellectui patienti*, & habetur species impressa. 7. Intellectus patiens hac specie instructus ferri potest in naturam vel *directè*, cognoscendo eam secundum attributa essentialia, & à singularibus præscindendo; vel *reflexè*, cum naturam per alium actum à suis inferioribus jam præcisam cognoscit per actum novum in ordine ad inferiora. Hanc seriem & modum formandæ cognitionis admittunt *S. Thom.* *S. August.* *Arist.* & alii Authores plurimi & gravissimi, quorum verba commodiùs aliis in locis adducuntur. In ultimo præcipuè numero *Formalistas* inter & *Objectivistas* oritur dissensio: *Formalistæ*

listæ enim principiis suis de præcisione formali innixi contendunt universale fieri per cognitionem confusam singularium, vel per talem actum, quo attinguntur multa per modum unius, ita ut fiant *extrinsecè*, & *ex parte modi* tantum unum, non autem *intrinsecè* & *ex parte objecti*. Econtrà *Objectivistæ* tuentur, Universale fieri per talem actum, qui tantum cognoscit naturam, ita ut nec *ex parte actûs*, nec *ex parte objecti*, nequidem confusè reluceant singularitates, adeoque natura intrinsecè præcisa dici possit. *Status quæstionis* est de his ultimis actibus, Utrum fiat universale per actum præscindentem *formaliter*, an per actum præscindentem *objective*?

253. *Dico* 1. Universale non fit per actum formaliter præscindentem. *Ratio est*. Universale per talem præcisionem fieri debet, per quam ipsa natura v. g. humana fit una, & apta prædicari de multis; sed per præcisionem formalem non ipsa natura fit una, & apta prædicari de multis; ergo. *Prob. min. Inprimis non fit una*; nam id quod cognoscitur per actum præscindentem formaliter sunt omnia singularia *confusè* saltem cognita; sicut ergo oculus videns clarè colorem, *confusè* autem qualitatem coloris, non facit unum v. g. genus; ita nec intellectus formaliter præscindens. *Si dicant Formalistæ*, naturam fieri unam, non quidem *intrinsecè* & *ex parte objecti*, sed *extrinsecè* & *ex parte modi*, sive actûs. *Contra sic insto* 1. Vel ergò *Formalistæ* per naturam *extrinsecè* & *ex parte modi*, sive actûs unam, intelligunt hoc,
 O quòd

quòd natura præcisa fit à singularitatibus per actum intellectûs, qui est objecto extrinsecus; vel aliquid plus per hæc verba denotant? Si primum; ergo se nondum discernunt ab *Objectivistis*, qui idem asserunt. Si verò aliquid plus per verba illa sibi admodum familiaria & propria intelligant, quæso quid illud? *Si reponant*, quòd juxta *Formalistas* natura fit *TANTUM extrinsecè præcisa*, id quod *objectivistæ* non profitentur. *Infero*: Si natura est *TANTUM extrinsecè præcisa*, ergo præcisio non est in ipsa natura; si non est in ipsa natura, ergo natura non est præcisa, & quod consequentaneum est, natura non erit Universalis; adeoque *Formalistæ* habent actum præscindentem, sed nullum præcisum. *Contra sic insto II.* Vel ergò unum *ex parte modi, aut ex parte actûs* est unum objectum, vel est unus actus? Si est unus actus; ergo quilibet conceptus multorum militum, erit universalis. Si autem est unum objectum; ergo datur objectum illius actûs, quod sit unum; sed unum non fit, nisi per præcisionem objectivam (id quod superior instantia probat) ergo per hanc, & non per formalem fit Universalis. *Deinde per præcisionem formalem natura non fit apta verè prædicari de multis*: quia admisso hoc, quod Universalis fiat per conceptum individua confusè repræsentantem, hæc propositio: *Petrus est homo*, haberet hunc sensum: *Petrus est singuli homines*, quæ prædicatio certè falsa est.

254. *Obj.* Singularia sunt fundamentum Uni-

Universalis formaliter talis, & fiunt unum per intellectum; ergo singularia àb actu faciente Universale immediatè attingi debent. R. D. *Conf.* Ergo singularia attingi debent sub eâ ratione, sub qua fiunt unum. C. Sub ratione hæcceitatum, & individuationum. N. Singularia fiunt exercitè unum sub ratione naturæ, & sub hâc ratione etiam àb intellectu immediatè attinguntur; singularia verò sunt tantùm mediatum objectum, & fundamentum, quod non debet attingi adæquatè, i. e. tam secundùm naturam, quàm secundùm singularitatem.

Inst. 1. Illud debet immediatè attingi àb actu faciente Universale, quod non est Universale; ergo debent singularia immediatè attingi. *Prob. ant.* Illud à tali actu immediatè attingi debet, quod est objectum ejus; sed objectum ejus est id, quod non est Universale; ergo. R. D. *Maj. probat* Illud immediatè attingi debet, quod est objectum actûs proximum, & terminativum. C. quod est objectum actûs remotum, & motivum. N. D. *etiam min.* Sed objectum actûs remotum, & motivum non est Universale. C. proximum, & terminativum. N. *Si ais:* Omnis actus præsupponit suum objectum. R. D. Actus speculativus. C. actus practicus. N. Actus faciens Universale, cognoscendo naturam, exercitè præscindit eam à singularitatibus, & sic exercitè præcisa est objectum ejus proximum.

Inst. 2. Cognitio fabricans Universale habet pro objecto proximo convenientiam sin-

gularium cognitam absque differentiis, sed omnis convenientia dicit pluralitatem; ergo objectum proximum dicit adhuc pluralitatem. *R. D. min.* Omnis convenientia, quæ est *per modum similitudinis*, dicit pluralitatem. *C.* quæ est *per modum identitatis*. *N.* Universale formaliter est convenientia per modum identitatis, quæ objectivè in intellectu excludit multitudinem Convenientium.

Inst. 3. Quando natura fit Universalis, tunc fit actu divisa, & multiplex; ergo intellectus etiam multa convenientia attingere debet. *R. N. Ant.* Sed fit natura una multiplicabilis: Si deinde hæc actu dividatur, h. e. prædicetur, hoc potius pertinet ad actum intellectus reflexum, & subsequentem, quàm ad actum directum, exercitè facientem Universale.

Inst. 4. Natura abstracta sunt ipsa singularia; ergo si intellectus naturam abstractam cognoscat; cognoscit ipsa singularia. *R. D. Ant.* Natura abstracta, ut est in se physicè, sunt singularia. *C.* ut exercitè objectivè existit in intellectu. *Subdist.* Sunt ipsa singularia *adequatè*. *N. inadquatè*. *C.*

255. *Dico 2.* Universale fit per intellectum objectivè præscindentem. *Ratio est:* Quia per præcisionem objectivam natura verè abstrahitur àb individuationibus, & differentiis multiplicantibus. Nam præcisio objectiva, in quantum *causalis*, & *activa* est, facit, ut natura non habeat singularitates (tò non sumendo præcisivè) per quas dividitur; in quantum
verò

verò *passiva* est, objecto, sive naturæ est intrinseca, adeò ut objectum, vel natura verè dicatur perfectè præcisa: Si verò est perfectè præcisa à differentiis multiplicantibus, tunc est verè una, & intentionaliter indifferens, contrahibilis, & participabilis à suis inferioribus, adeoque apta inesse, & verè prædicari de multis; igitur Universale formaliter tale per hanc præcisionem fieri necesse est. *Confir.* D. Thomas. Opusc. 49. Ubi Platoniorum figmenta refutat, sic habet: *Intellectus abstrahit genus à speciebus, in quantum intelligit naturam generis, non intelligendo differentias; & similiter abstrahit speciem à individuis, in quantum intelligit naturam speciei, non intelligendo principia individuantia.* Ecce, nihil de cognitione confusà differentiarum, aut principiorum individuantium commemorat. *Vid. etiam Aristotelis verba lib. 5. Metaphys. cap. 6. tex. II. & lib. 10. tex. I. apud Sylvest. Maurum Soc. Jesu.*

256. *Obj. 1.* Dicant *objectivista*, quid sit natura v. g. humana objectivè præcisa; an sit quid distinctum à cognitione repræsentante, & ab individuis extra intellectum positis, vel non? Si nihil est à his distinctum, non sunt contra nos. Si autem est quid distinctum, dicant, quid illud? An quoddam idolum mentis? ubi subiectetur? quomodo prædicetur de inferioribus, an *ut quo*, an *ut quod*? Ecce, quot nodi solvendi sint objectivistis! ita memini me legere in Formalistæ cujusdam manuscriptis. His quæstionibus ut ex ordine satisfaciam,

R. 1. Natura humana objectivè præcisa est natura humana, præcisè secundum prædicata essentialia considerata, absque differentiis individuantes. R. 2. Est quid distinctum à cognitione, & etiam à individuis. R. 3. Illud distinctum est natura objectivè existens sine individuationibus. R. 4. Hæc natura non est idolum mentis; nam habet esse fundamentale extra intellectum, & quoad rem existit à parte rei, etsi non quoad modum. R. 5. Medianter cognitione subjectatur in intellectu. R. 6. Prædicatur de inferioribus *ut quod*; dum enim dico: *Petrus est homo*, natura humana est illud, quod de Petro prædicatur. Ecce nodos insolubiles! hinc tanti momenti sint, ut præcisionem objectivam improbabilem reddant, imò & impossibilem? Hæc ad quæsitæ sufficiant: Si plura quærant Formalistæ, plura objectivistæ reponent.

257. *Obj. 2.* Cùm intellectus naturam v. g. *Animalis*, abstrahit à homine, & bruto, vel abstrahit duo animalia, vel unum? R. Abstrahit *unum*. Si reponas: in homine, & bruto à parte rei sunt duo animalia; ergo intellectus duo quoque abstrahere debet. R. N. *Conf.* Intellectus enim ex duobus, imò ex omnibus animalis inferioribus facit practicè unum, dum cognoscit solum principium sentiendi, differentiis, & inferioribus multiplicantibus non cognitis.

Inst. 1. Objectum actûs facientis v. g. *genus*, sunt omnes illius generis species. & objectum

jectum actûs facientis *speciem*, sunt omnia individua speciei; ergo actus objectivè præscindens non facit Universale. R. 1. Sequeretur, quod omnes species simul sumptæ essent genus, & individua omnia simul sumpta forent species; adeoque nec genus v. g. *Animal*, prædicari de homine posset, cum homo non sit omnis species: Nec species v. g. *homo*, prædicari posset de Petro; quia Petrus non est omne individuum humanum. Videant proinde *Formalistæ*, an verum habeant Universale, qui confusè saltem cognoscunt species omnes, & individua omnia. R. 2. Quodnam sit objectum proximum, & quodnam remotum actûs facientis Universale, jam dictum est n. 254. *in obj. & inst.*

Inst. 2. Ex parte objecti non datur ratio generica, vel specifica; ergo natura exercitè abstracta nequit esse objectum proximum. R. D. *Ant.* Non datur per intellectum. N. Ante operam intellectûs. *Subdist.* Non datur actualiter formaliter. C. non datur fundamentaliter. N.

258. *Obj. 2.* Natura est intrinsecè, & physicè multiplex; ergo intrinsecè una fieri nequit. R. D. *Conf.* Pro statu reali & physico. C. pro statu intentionali & objectivo. N. *Si ais:* Natura in statu objectivo est natura abstracta; sed hæc nequit esse Universalis; quia nequit inesse multis, nec prædicari potest de multis, cum sit à multis abstracta; ergo. R. N. *min. ejus rationem* D. Nequit inesse multis, nec prædicari potest de multis, ut abstracta. C. quæ abstracta.

tracta. N. Natura ut abstracta, & cum statu est natura in sensu composito abstractionis à multis, in quo utique inesse multis nequit, nec prædicari de multis potest; sed tamen illa natura, quæ abstracta est, apta est singularibus inesse, & de iis prædicari.

Inst. 1 Natura Petri & Pauli essentialiter singularis est, & consequenter multa; ergo nequit una fieri, & universalis per intellectum. R. D. *Ant.* Singularis est physicè, & quoad modum existendi physicè. C. est singularis objectivè. N. *Si ais:* Unitas est objecto merè extrinseca; ergo nequit naturam denominare intrinsecè unam. R. N. *Ant. Probas.* Unitas naturæ Universalis est unitas præcisionis; sed hæc est merè extrinseca; ergo. R. D. *maj.* Est unitas præcisionis *passiva*. C. præcisionis *activæ*. *Subdist. Causaliter*, h. e. Cognitio præscindens est quasi causa efficiens, vel potius conditio requisita ad hoc, ut unitas tanquam forma metaphysica resultet. C. Est unitas præcisionis *activæ formaliter*, h. e. cognitio est causa formalis intrinseca ad hanc resultantiam requisita. N. Ex his advertes, Unitatem Universalis esse formam metaphysicam *intrinsecam* objecto intentionaliter existenti, ab *extrinseco*, scilicet à cognitione activè præscidente.

259. *Obj. 3.* Natura v. g. humana objectivè præcisa est natura omnium hominum; sed hæc nequit esse Universale, cum verè prædicari non possit de inferioribus; ergo natura objectivè præcisa nequit esse Universale. R. D. *maj.*

maj. Est natura omnium hominum *extensivè*,
& materialiter sumpta. N. Est natura omni-
um hominum *intensivè*, & formaliter sumpta.
C. Natura omnium hominum *intensivè* & for-
maliter sumpta sunt prædicata essentialia homi-
nis secundum se absque individuationibus; ni-
hil autem impedit, quo minùs hæc verè præ-
dicari possit de quocunque individuo humano.
Verùm natura omnium hominum *extensivè*, &
materialiter talis est natura cum omnibus indi-
duationibus, & differentiis, prout existit à par-
te rei in singularibus, quæ certè nec una, nec
communicabilis pluribus est, nisi *fundamentali-
ter*, & *remotè*. Si ais. Nihil est realiter in Pe-
tro, quod sit quoque realiter in Paulo; ergo
nihil commune Petro & Paulo datur, adeoque
nec prædicatur aliquid de Petro, quod prædi-
cari quoque possit de Paulo. R. D. *Conf.* Er-
go nihil commune Petro & Paulo datur per
intellectum. N. à parte rei. *Subdist.* nihil com-
mune *proximè*, *formaliter*, *actualiter*. C. ni-
hil commune *fundamentaliter* & *remotè*. N.
Petrus & Paulus habent à parte rei naturas si-
miles, quæ similitudo præbet intellectui funda-
mentum ex duabus his naturis faciendi unam,
& aptam pluribus communicari. *Alteram il-
lationem etiam* D. Nec prædicatur aliquid con-
tractum, & *extensivè* tale de Petro, quod
etiam prædicari possit de Paulo. C. Nec præ-
dicatur aliquid abstractum, & *intensivè* tale de
Petro, quod etiam prædicari possit de Paulo.
N. *Si inferas:* Ergo Petrus & Paulus erunt
O 5 idem

idem inter se, quia sunt idem cum aliquo tertio, scilicet cum natura abstracta. R. 1. N. *Illatum*. Rationem accipe ex n. 209. & 22. ubi hoc principium explicatum reperies. R. 2. D. *Illat*. Sunt idem specie. C. sunt idem numero. N. *Surgens*. Natura objectivè præcisa est tantum in intellectu; ergo nequit esse in inferioribus. R. D. *Ant*. Est tantum in intellectu, ut est præcisa, & quoad modum. C. quæ est præcisa, & quoad rem. N.

260. *Obj 4*. Et *quæres*: Utrum natura à unico individuo præcisa sit Universale? R. *Affirmativè* (Si nimirum plura individua saltem possibile sint) quia & talis natura erit una & apta inesse multis. Adde, quod plerumque intellectus faciens Universale sibi, non proponat omnia omninò individua aut omnes omninò species; & tamen natura in tali casu una est, & apta omnibus omninò inesse; ergo à pari. *Si ais*: Eadem natura erit in mente, quæ fuit à parte rei; sed natura, quæ fuit à parte rei, est apta inesse tantum uni; ergo & ea, quæ est in mente. R. D. *maj*. Eadem natura erit in mente, quæ fuit à parte rei, *eodem modo, & adequatè*. N. *Diverso modo & inadquatè*. C. & *Transmissâ minore* pariter D. *Conf*. Dixi *transmissâ min*. quia ex supposito, quod plura individua saltem possibile sint, natura, quæ unico etiam individuo à parte rei inest, erit *remotè prædicabilis de pluribus, & fundamentaliter Universalis*.

§. III.

An Universale fiat per actum Comparativum.

261. *Nota.* Circa Universale tres potissimum actus habere intellectus potest. *Primò.* Prælucentibus sensibus externis cognoscere potest naturas in multis individuis similes. *Secundò.* Abstrahit naturam àb individuationibus. *Tertiò.* Reflectere se potest supra naturam jam præcisam, & illam actu referre ad inferiora, & sic reflexè cognoscere, an apta reverà sit, inesse inferioribus suis, & de iis prædicari. Actus primus, & tertius absque dubio sunt Comparativi, sed non sunt actus facientes Universale. Non *primus*; quia præcedit ipsam Universalis effectiorem. Non *tertius*; quia sequitur Universale jam factum. *Status quaestionis* igitur est de actu secundo, qui formaliter & directe facit Universale: An nimirum & hic sit comparativus, h. e. an hic ipse actus comparet naturam exercitè abstractam cum inferioribus, sive individuis, & advertat ad naturæ cum illis convenientiam? An verò sit absolutus, h. e. an naturam simpliciter abstrahat à differentiis individuantibus absque comparatione?

262. *Dico.* Non est comparativus. *Ratio est.* Hoc ipso quod intellectus naturam cognoscat, differentiis individuantibus non cognitis, natura absque ulla comparatione est una, simulque indifferens, & apta inesse multis, & de illis prædicari, etsi actu non prædicetur, id quod ad essentialiam Universalis non requiritur.

Confir.

Confir. Si Universale non esset *essentialiter*, & *proximè* prædicabile (nonnulli enim tantum ad Universale *in prædicando* actum comparativum exigunt) ante comparationem, ergo nunquam foret prædicabile de omnibus; cum de omnibus singillatim comparatio fieri non possit.

263. *Obj.* 1. Actus formaliter & directe faciens Universale, debet illud facere; prout dicit ordinem ad inferiora; ergo facere illud debet comparative ad inferiora. R. T. *Ant. N.*

Conf. Ad hoc enim, ut aliquid in se sit respectivum, necesse non est, illud fieri actione respectiva, ut in respectivis patet. *Dixi T.*

Ant. Quia, si per verba illa: *prout dicit ordinem ad inferiora*, contendas, quod actus faciens Universale debeat id actu ad inferiora referre, tunc falsum est ex ratione conclusionis. *Si ais:* Intellectus faciendo Universale non debet cæco modo procedere; ergo debet illud comparare cum suis inferioribus, ne fortè præscindat naturam, quæ pluribus inesse, aut de iis prædicari non possit. R. Huic periculo satis cautum est per actus prævios.

Inst. Universale essentialiter dicit ordinem ad multa; ergo essentialiter involvit comparationem. R. D. *Ant.* Essentialiter dicit ordinem ad multa, i. e. debet essentialiter in se habere aptitudinem, ut possit referri ad multa. C. i. e. debet actu referri. N. *Si reponas.* Nequit dari prædicatum actu in iudicio, nisi fiat comparatio actualis ad subjectum; ergo nec datur prædicabile actu, nisi fiat comparatio ad sub-

subiicibile actu. R. N. *Conf. Disp.* est: Relatio, quæ inter prædicatum actuale, & subiectum intercedit, est prædicamentalis, & contingens, quæ requirit terminum actu existentem, ad quem actu referatur. Econtra prædicabile, siue aptum esse prædicari, est relatio transcendentalis, & essentialis; igitur ab actu, à quo natura habet, quod sit una & communicabilis (quæ est essentia Universalis) ab eodem etiam habet, quod sit transcendentaliter respectiva; prius autem habet à cognitione abstractiva absoluta; ergo & posterius.

264. *Obj. 2.* Superius, ut superius sine relatione ad inferiora concipi nequit; sed Universale logicum est superius respectu inferiorum; ergo. R. 1. Transmisso hoc argumento, nondum sequitur, Universale necessario fieri per comparisonem; aliud enim omnino est, *Universale non posse concipi*, & aliud, *Universale non posse fieri*, ut consideranti facile patebit. R. 2. *D. maj.* Superius *reduplicative* sumptum concipi nequit &c. C. Superius *specificative* sumptum. N. Dum fit Universale, opus non est, ut concipiatur *quæ* superius, sed satis est, ut concipiatur sine differentiis.

265. *Reflexio* supra præcedentes §§. hujus articuli. I. Ad Universale tanquam constitutiva non requiruntur *Unitas & multitudo*, sed tantum *Unitas*, & *aptitudo* inessendi multis. II. Natura Universalis est una, & multa in ratione naturæ; non autem multa est in ratione individuationum, cum per individuationes
multa

multa fiat in ratione ipsius naturæ individuatae: Hinc natura abstracta non prædicatur de individuationibus formaliter, & abstractim sumptis, sed de ipsis individuis; dicere enim non possum: *Petveitas in abstracto est homo*; sed, *Petrus vel Petveitas realiter sumpta est homo.*

III. Universale est *Totum potentiale*, quod, licet non contineat plus, quàm singula individua, *quoad rem*, sicut *totum actuale*, cum natura abstracta non contineat plura prædicata essentialia, quàm singula illius naturæ individua: Continet tamen plus *quoad modum*, cum alio modo repræsententur prædicata essentialia in natura abstracta, & alio in contracta. In natura abstracta repræsentantur sine individuationibus, & ut quid multiplicabile, adeoque ut quid superius, & Universalius individuis. In natura verò contracta eadem quidem prædicata repræsentantur, sed cum differentiis individuantibus, & ut quid immultiplicabile.

IV. Per actum comparativum natura non fit Universalis in ratione Universalis *absoluti*, vel *transcendentaliter respectivi*; sed fit tantum Universalis in ratione Universalis *prædicamentaliter respectivi*. h. e. Actus comparativus non dat denominationem *actu & formaliter Universalis*, ad quam se merè per accidens habet; sed præcisè dat denominationem *respectivi*.

V. Natura abstracta per actum abstractentem absolutum est *exercitè Universalis*, estque vel genus, vel species, & proximè apta inesse, & prædicari de multis, vel ut pars, vel ut

ut tota essentia &c. *exercitè*. Quod autem dicatur *signatè* genus, vel species, hoc habet à cognitione comparativa. His ipsis terminis: *Signatè*, & *exercitè*, solvuntur multa alia. v. g. Natura Universalis *positivam* habere unitatem debet, & aptitudinem ad multa; sed talem non habet per actum absolutum, cum ille naturæ *negativam* duntaxat aptitudinem tribuat, quæ nil aliud est, quàm non repugnantia accipiendi ordinem vel respectum positivum ad inferiora; ergo. *Item*. Universale actu respicit multa, est actu prædicabile; sed hæc denotant cognitionem comparativam; ergo. *Item*, Natura Universalis habere debet negationem differentiarum; sed hanc non habet, nisi per actum comparativum; ergo. &c. VI. Actus faciens Universale nec copulativus, nec disjunctivus esse potest: Actus enim copulativus conjungit, disjunctivus autem sejungit multa; ergo uterque repræsentat multa ut multa, & in utroque apparet pluralitas; igitur neuter est faciens Universale.

ARTICULUS IV.

De Actuali Prædicatione, & Affectionibus Universalis.

§. I.

An Universale in actuali prædicatione maneat?

266. **N**Ota. Etsi prædicatio, si ut judicium formaliter tale spectetur, sit actus
entita.

entitativè indivisibilis, vi officii tamen, quo fungitur, virtualiter duplex est; Identificativa scilicet, & repræsentativa, *Identificativa* dicitur, quia connectit prædicatum cum subjecto. *Repræsentativa* nuncupatur, quia subjectum & prædicatum per modum duplicis apprehensionis repræsentat. Potest autem variis modis fieri prædicatio. 1. Quando extrema æquè latè patent, ut in hac: *Homo est rationalis*. 2. Quando utrumque extremum Universale quidem est; Unum tamen latiùs patet, quàm alterum, ut in hac: *Homo est animal*. 3. Quando subjectum est singulare, prædicatum autem Universale, ut in hac: *Petrus est homo*. *Status questionis* potissimùm est de tertio hoc prædicandi modo: An nimirùm, quando natura v. g. humana intentionaliter objectivè per apprehensionem præcisiva est, sub hoc conceptu: *Homo*, & deinde formetur mentalis hæc prædicatio: *Petrus est homo*; An, inquam, in hac prædicatione maneat eadem vox. *Homo*, Universale? Sive deinde maneat vi hujus prædicationis, id quod P. Aler *Tract. 1. Disp. 2. c. 4. §. 2.* cum pluribus aliis defendit: Sive maneat sub apprehensione præcisiva, ita ut apprehensio hæc præscindens, accedente iudicio, quo homo de inferioribus prædicatur, semper remaneat, ut contendit P. *Jac. Channeville*. Quidquid enim dicatur, thesios hujus finis obtinebitur, & utilitas, quæ hæc est: ut Philosophus faciliùs distinguat prædicationes scientificas à non scientificis, identicas à non identicis, directas à indirectis.

267. *Dico.* Universale manet in actuali prædicatione de singulari. *Ità communiter tum VV. tum RR. Ratio est 1.* Terminus nullam includens singularitatem est Universalis; sed prædicatum hujus prædicationis: *Petrus est homo*, est terminus nullam includens singularitatem, ergo est Universalis. *Prob. min.* Si quandam singularitatem includeret, ergo diversitas nulla foret has inter propositiones: *Petrus est homo, Petrus est aliquis homo, Petrus est hic homo, Petrus est Petrus*; in Adversariorum enim sententia τὸ *Homo*, contrahitur ad Petrum, estque terminus æquè singularis, ac *Petrus*: Sed falsa est sequela, ergo & id, unde sequitur. *Ratio est 2.* Si prædicatum de subjecto singulari contraheret singularitatem, ergo sicut benè infero: *Petrus est animal rationale*; ergo est *admirativus*; Ita etiam benè inferrem: *Petrus est animal*; ergo est *admirativus*; quia in utraque propositione prædicatum esset æquale subjecto: Sed hæc sequela rursùs falsa est; ergo. *Ratio est 3.* Si Universale in prædicatione actuali non manet; ergo nec genus prædicatur de specie, nec species de individuo. *Prob. sequel.* In his prædicationibus: *Homo est animal, Petrus est homo*, vel *Animal* manet genus, & *Homo* species, vel non? Si manet, habetur intentum. Si non manet, ergo nec genus de specie, nec species de individuo prædicabitur, & consequenter Prædicationes omnes forent identicæ, & præcedentes hunc haberent sensum: *Homo est homo, Petrus est Petrus*; quod nugari potius

tius est, quàm Philosophari. Si autem in eiusmodi prædicationibus Universale manet, cur non etiam in iis, in quibus Universale, prædicatur de singulari? *Confr.* Ex ipsis suppositio- num regulis (quas in tractatu de iudicio dabo) colligitur, quòd prædicatio objectum repræsentare aliter possit *ex parte subjecti*, & aliter *ex parte prædicati*; ergo prædicatio ex se non est principium destructivum Universalitatis ex parte prædicati, sicut subjectum sit singulare. Adstipulatur huic sententiæ D. Thomas. *opusc.* 56. ubi sic: *Homo secundum quod particulare, non prædicatur de socrate; sed ipse terminus participat naturam humanam absque omni participatione, & particularizatione.* Similia habet. p. 1. q. 77. a. 1. ad 1.

268. *Obj.* 1. In hac prædicatione: *Petrus est homo*, de Petro prædicatur talis homo, qualis est ipse; sed ipse est homo singularis; ergo. *R. D. maj.* Prædicatur talis homo, qualis est ipse *cum statu*. N. Sine statu, & àb omni statu præscindens. C. De Petro nec prædicatur homo singularis, nec Universalis *cum statu*, sive *ut talis*; sed tantum *qui talis*, sive prædicata essentialia naturæ humanæ. Itaque allata propositio habet hunc sensum formalem: *Natura, quæ est cum Petritate realiter identificata, est natura humana.* Ex resolutione hac intelliges, quòd singularitas se tantum teneat *ex parte subjecti*, & quòd prædicatum realiter duntaxat sit singulare, non verò *objectivè*, & *ex parte prædicati*. *Si ais*: quòd prædicatur de Petro, de-
bet

bet esse idem cum Petro; sed natura Universalis non est idem cum Petro; ergo. *R. D. maj.* Debet esse idem cum Petro tum quoad rem, tum quoad modum. *N.* debet esse idem cum Petro saltem quoad rem, etsi non quoad modum. *C.* Natura autem Universalis est idem cum Petro saltem quoad rem. *Si reponas:* Natura humana etiam quoad rem spectata est Universalis; ergo nec quoad rem est idem cum Petro. *R. D. Ant.* Natura spectata quoad rem *simpliciter*, est Universalis. *N.* Spectata quoad *talem rem*, nempe ut substantem cognitioni præscindenti est Universalis. *C.* Per talem rem denotatur status naturæ sub cognitione præscindente, qui non prædicatur de Petro, nec est idem cum illo. *Si urgeas.* Natura Universalis quoad rem spectata, est natura omnium hominum; sed hæc non est idem cum Petro; ergo. *R. D. maj.* Est natura omnium hominum *intensivè*. *C. Extensivè* *N.* Natura omnium hominum *extensivè* sunt naturæ numericè spectatæ, & prout in pluribus sunt à parte rei. *Intensivè* autem sumpta sunt prædicata essentialia naturæ humanæ, nimirum *animal rationale*.

269. *Obj. 2.* Dum natura prædicatur de singulari, contrahitur ad singulare; ergo non manet Universale. *R. D. Ant.* Contrahitur *ex parte subjecti*. *C. ex parte prædicati.* *N. Si ais:* In hæc prædicatione: *Petrus est homo*, ipsum prædicatum, quod est natura humana, contrahitur ad singulare subjectum; ergo nequit dici

ex parte prædicati manere Universale. R. D. *Ant.* Ipsum prædicatum contrahitur, i. e. intentionaliter unitur singulari. C. ipsum prædicatum contrahitur, i. e. fit singulare, aut singularitatem exprimit. N. Unio hæc intentionalis, quæ fit in prædicatione, tam parùm obest Universalitati prædicati, quàm parùm spiritualitati animæ officit Unio physica cum corpore: Sicut enim propter Unionem cum corpore anima non fit corporea, nec corpus spirituale efficitur, licèt ratione Unionis physicæ constituent totum physicum. Ita pariter propter Unionem intentionalem in hac prædicatione: *Petrus est homo*, nec *Petrus*, utpote subjectum singulare, fit Universale, nec *Homo*, utpote prædicatum Universale, singulare constituitur, licèt propter unionem intentionalem totum intentionale, quale est prædicatio objectiva,ificent. *Si postules*, cur hoc? Rationem do hanc: quia nulla unio facit, sed supponit extrema sibi proportionata, saltem nostro modo concipiendi; cùm igitur *natura humana* ante Unionem intentionalem *cum Petro*, ab omni singularitate per apprehensionem præviam præcisa fuerit, etiamnum præcisa manet, & Universalis *ex parte prædicati*, etsi contracta sit *ex parte subjecti* in Petro.

270. *Inst.* Terminus magis communis cum minùs communi in unum complexum coalescens restringitur; ergo etiam restringitur terminus Universalis cum singulari coalescens in unam prædicationem. R. N. *Conf. Disp.* est qui

quia ratio significata per terminum complexum tribui iis omnibus non potest, quibus tribui potuit ratio magis communis termini per se, & solitariè accepti; ut patet in complexo hoc termino: *Homo litteratus*, qui dici nequit de iis omnibus, de quibus prædicatur *homo*. Econtrà quando terminus minùs communis constituit subjectum, & magis communis prædicatum, ut fit in hac prædicatione: *Petrus est animal*, terminus magis communis non ita restringitur ad Petrum, ut prædicari non possit de aliis omnibus, de quibus prædicari potuit per se, & solitariè acceptus. Cujus ratio ulterior est; eoquòd inferre non liceat: *Petrus est animal; ergo est visibilis*; quod tamen inferre nihil prohiberet, si *à animal* restringeretur ad Petrum; cùm sic restrictum idem foret, ac *animal rationale*, ex quo superiorem sequelam legitimè infero. *Si ais*: Prædicatum Universale identificatur subjecto singulari; ergo magis restringitur, quàm terminus magis communis cum minùs communi in unum complexum coalescens. R. D. *Ant.* Identificatur subjecto secundùm prædicata, quæ habet *materialiter*, & *in statu physico*. N. secundùm prædicata, quæ habet *formaliter*, & *in statu intentionali*. *Subdist.* ex parte subjecti. C. ex parte Prædicati N. Hoc ut intelligas, *advertite*: Dum dico: *Petrus est homo*, ad conjungenda intentionaliter prædicationis hujus extrema moveor convenientiâ utriusque extremi; suppono enim, me in dictâ prædicatione ponere *assensum me-*

diatum, qui nititur prævio aliquo ratiocinio. Si verò contendas, me ponere assensum immediatum, & moveri me àb identitate prædicati cum subjecto; etiam hoc gratis admissio, dico, quòd identitas *Petrum* inter & *hominem* ad duo hæc conjungenda moveat me quoad *humanitatem* duntaxat, quæ tum in Petro, tum in homine apprehenditur. Cujus ratio est, quòd ex parte hominis inadæquatè & intentionaliter sumpti, pro natura humana, præter *humanitatem* aliud prædicatum non detur; ex parte verò Petri licèt singularitas sit, identitas tamen cum hæc Petri singularitate formaliter spectata me ad præfaram conjunctionem movere non potest, quandoquidem nulla est identitas inter hujusmodi singularitatem, & hominem objectivè præcisum. Ex his sic infero: *Ergo identitas inter hominem præcisum, & Petrum nullam infert Singularitatem aut pluralitatem EX PARTE IPSIUS PRÆDICATI, seu hominis abstrahentis à singularitate & pluralitate; sed tantum EX PARTE SUBJECTI sive ipsius Petri, in quo natura Petreitati identificata est.*

271. *Obj. 3.* Lignum constans duobus palmis, si dividatur in duos palmos, non manet bipalmare; ergo nec prædicatum manet Universale, dum per prædicationem quasi dividitur in singularia. *R. N. Conf. Disp.* est 1. quia Universali, quando in actuali prædicatione quasi dividitur, *ex parte prædicati* nihil demittitur, sed tantum *ex parte subjecti* aliquid additur:

tur: Secus est in altero casu. 2. Lignum est totum actuale constans partibus actu existentibus, quarum una dum aufertur, utique destruitur totum; cum totum actuale nil aliud sit, quam suæ partes unitæ, collectivè sumptæ. Econtra Universale est totum potentiale, quod inferioribus tanquam partibus actualibus non constat, sed absque sui diminutione totum tribuitur singulis.

272. *Obj. 4.* Termino Universali præfigi potest particula *omnis*; sed termino, *Homo*, in hac prædicatione: *Petrus est homo*, præfigi nequit particula *omnis*; ergo non est Universalis. *R. D. maj.* Termino Universali Universaliter sumpto præfigi potest particula *omnis*. *C.* Termino Universali non Universaliter sumpto. *N.* In propositione autem affirmativa prædicatum non sumitur Universaliter, aliàs supponeret *distributivè*, & præfata propositio haberet hunc sensum: *Petrus est & hic, & iste, & ille homo* &c. quod manifestè falsum est. *Si inferas.* ergo *τὸ homo* in dicta propositione sumetur singulariter. *R. N.* Quia juxta summulistas terminus communis non sumitur singulariter, nisi ei syncategorema *Hic* præfigatur.

273. *Obj. 5.* & quæres. In qua suppositione sumatur *τὸ Homo*, dum dico: *Petrus est homo?* *R.* Sumitur in suppositione tum *personali*, tum *simplici*; in *Personali* quidem *signatè*, in *simplici* verò *exercitè*. Hoc sic explico: Terminus sumitur *in suppositione personali signatè*, quando prædicatum de termino formaliter af-

firmatum, illi ante operam intellectûs convenit, licet hoc ipso, quod ei prædicatum ejusmodi tribuatur, denominatione quâdam logicâ exercitè denominetur. Terminus sumitur *in suppositione personali exercitè*, quando ei signatè quidem & explicitè convenit denominatio logica, sed præter hanc illi pariter conveniat exercitè aliqua denominatio, quæ non est logica. Terminus sumitur *in suppositione simplici signatè*, quando ei signatè & explicitè convenit denominatio logica. Terminus sumitur *in suppositione simplici exercitè*, dum ei exercitè tantum & implicitè denominatio logica convenit. *Si ais.* Hanc suppositionem ejusque expositionem ignotam esse Summulistis. *R.* Nota est iis omnibus, qui hanc thesin attingunt; imò tibi ipsi, qui eam impugnas; quod sic evinco: quæro ex te, an in hac prædicatione: *Petrus est homo*, τὸ *homo* sumatur personaliter vel simpliciter? *Si reponas*, quod sumatur personaliter. *Contra sic insto*: τὸ *homo* in dicta prædicatione est affectum denominatione logicâ, cum significet prædicatum, ergo nequit sumi personaliter. Quid respondes? nunquid ipse distinguis antecedens cum ejus probatione, dicendo: est affectum denominatione logicâ, & significat prædicatum *exercitè*. *C. Signatè*. *N. Infero*: ergo suppositio personalis & simplex signatè & exercitè talis Philosophis ignota non est.

274. *Inst. I.* Si in prædicatione hac: *Petrus est animal*, τὸ *animal* sumatur simpliciter, ergo bonus erit hic syllogismus: *Animal est genus,*
Petrus

Petrus est animal; ergo *est genus*; cùm τὸ animal ubique sumatur simpliciter. R. I. *retorqueo*: ergo etiam bonus erit hic syllogismus: *Genus est Prædicatum, Animal est Genus*; ergo *Animal est prædicatum*. Cùm τὸ genus ubique sumatur simpliciter. R. 2. N. *Sequel.* ejus rationem D. τὸ animal fumitur *ubique simpliciter exercitè, vel ubique signatè*. N. Sumitur in majore *simpliciter signatè, & in minori simpliciter exercitè, & signatè personaliter*. C. & hæc mutatio suppositionis vitiat syllogismum; Secùs foret, si τὸ *Animal* ubique sumeretur simpliciter exercitè, & ubique personaliter signatè, ut fit in hoc syllogismo bono: *Omne animal est sensitivum, Petrus est animal*; ergo *Petrus est sensitivus*. Si ais. Petrus essentialiter est animal; ergo in datâ propositione τὸ *animal* nequit sumi simpliciter. R. D. *Conf.* Nequit sumi simpliciter *exercitè. N. signatè. C. Si reponas.* Animal in suppositione simplici, & substans cognitioni præscindenti accidentaliter tantùm convenit Petro; ergo cùm Petrus essentialiter sit animal, illud nequit de eo prædicari in suppositione simplici. R. D. *Ant.* Animal in suppositione simplici *signatè tali, & ut* substans cognitioni præscindenti accidentaliter tantùm convenit Petro. C. Animal in suppositione simplici *exercitè tali, & sine statu intentionali. N.* Vid n. 268.

275. *Inst.* 2. Prædicatum propositionis affirmativæ, personaliter acceptum, fumitur disjunctivè; ergo prædicatum in hâc propositione:

P 5

Pe.

Petrus est animal, non manet Universale; disjunctio enim, in quâ apparet pluralitas, destruit Universalitatem. R. D. *Ant.* Sumitur disjunctivè, i. e. per alium actum debet posse exponi disjunctivè. C. h. e. per hanc ipsam propositionem necessariò repræsentatur disjunctivè. *Subdist.* Necessariò repræsentatur disjunctivè *formaliter*. N. repræsentatur disjunctivè ad summum *aquivalenter* T. *Dico* T. quia strictè loquendo prædicatum commune in ejusmodi prædicatione, de quâ hic sermo est, vi hujus prædicationis tantum præcisivè repræsentatur, in quantum nimirum præscindit à quatuor speciebus suppositionis personalis, quæ sunt *distributiva, collectiva, disjunctiva & disjuncta*. *Si ais.* Hæc prædicatio: *Petrus est animal* exigit exponi in sensu disjunctivo. R. D. exigit exponi in sensu disjunctivo vi modi tendendi hujus ipsius prædicationis. N. exigit sic exponi ratione materiæ, in quâ fit. C. h. e. modus tendendi ejusmodi prædicationis indifferens est ad quamcunque resolutionem, per quam verum manet, quod Petrus sit animal, sive dein exponatur *singulariter*, sive *disjunctivè*, sive etiam *copulativè*, ex supposito, quòd per impossibile etiam Petrus sit omnis homo. Verum materia, in qua fit prædicatio, exigit, ut exponatur disjunctivè, cum aliàs de facto vera non foret, si copulativè exponeretur. Ad hæc dicta prædicatio non exigit exponi disjunctivè vi actûs, per quem fit, sed tantum vi actûs, per quem exponitur, ut supra in prima responsione jam insinuavi.

276. *Obj. 6.* Dum dico: *Petrus est aliquod animal*, vel *Petrus est hoc animal*, τὸ *animal* non manet Universale; ergo nec manet, dum dico: *Petrus est animal*. R. N. *Cons. Disp. est*, quia τὸ *hoc* juxtà omnes summulistas est signum, quòd terminus, cui immediatè præfigitur, repræsentetur ùt singularis. τὸ *aliquod* verò est signum, quòd terminus, cui præfigitur, repræsentetur ùt multiplex disjunctivè. Econtra subjectum, etsi aliquo syncategoremate afficiatur, nunquam tamen signum est, quòd prædicatum aut disjunctivè, aut singulariter repræsentetur, ùt ex regulis summulisticis factis manifestè colligitur. *Si ais.* Ideò τὸ *hoc* prædicatum efficit singulare, quia illud immediatè afficit; sed subjectum singulare etiam immediatè afficit prædicatum, saltem in propositione mentali, quæ est indivisibilis; ergo. R. I. Sequeretur, quòd, sicut in hac prædicatione: *Omnis homo est animal*, subjectum sumitur distributivè, ita etiam sumatur distributivè prædicatum; quod hucusque, quantum ego quidem scio, nullus Summulistarum docuit. R. 2. *D. min.* Subjectum singulare etiam immediatè afficit prædicatum, & ei conjungitur quoad formalitatem duntaxat illam, quam actus in prædicato repræsentat. C. quoad formalitates, quas actus in prædicato non repræsentat. N. Ex parte prædicati non plus repræsentatur, quàm natura animalis v. g. secundùm se, & prædicata ejus essentialia, hinc etiam subjectum quoad hæc duntaxat prædicata conjungitur cum præ-

præ-

prædicato. Accedit, quòd in omni prædicatione non identica subjectum distet à prædicato non quidem physicè, sed intentionaliter, quatenus aliter repræsentatur, quàm prædicatum. *Si instes.* Si in prædicatione actuali prædicatum non fiat æquale subjecto, ergo prædicationem hanc: *Homo est animal*, possem convertere simpliciter sic: *Omne animal est homo*; quod tamen est contra regulas conversionum. *R. N. Sequel.* Ut enim propositio Universalis converti possit simpliciter, non sufficit, ut prædicatum sit Universale; sed debet etiam sumi *Universaliter & distributivè*, id quod non fit in citata modò propositione. Ratio hujus est; quia aliàs procederetur à non distributo ad distributum. *Si urgeas.* In hac prædicatione: *Aliquod animal est Petrus*, tò animal non manet Universale; ergo nec in hac: *Petrus est animal*, cum hæ propositiones sint convertens, & conversa, in quibus debet servari eadem suppositio. *R. D. Ant.* Non manet Universale exercitè. *N. Signatè.* C. in utraque propositione *animal* sumitur exercitè in suppositione simplici, & manet exercitè Universale; *Signatè* verò sumitur in suppositione personali, & non manet signatè Universale. *Vide etiam dicta. n. 275. sub finem.* *Si postules,* quomodò ergo hæc propositio: *Petrus est animal*, converti debeat? *R.* Quoad veritatem, si exponatur data propositio, utique convertenda sic est: Ergo aliquod animal est Petrus. Si verò ad modum tendendi propositionis conversæ attendas,

das, ejusque exigentiam, potius sic eam convertas, necesse est: *Vivens sensitivum, est vivens, quod realiter cum Petreitate identificatum est.* Nam conversa juxta n. 268. habet hunc sensum: *Vivens, quod realiter cum Petreitate identificatum est, est vivens sensitivum.*

277. Reflexio supra datam doctrinam. I. In his prædicationibus: *Petrus, & Paulus, & Joannes est animal.* Item *vel Joannes, vel Petrus est animal*, prædicatum manet Universale; quia eodem modo repræsentatur, quo repræsentatur in hâc prædicatione: *Petrus est animal.* II. Prædicatum etiam manet Universale in hac propositione: *Petrus non est animal*; cum enim sit contradictoria priori, idem prædicatum habere debet. III. Dum dico: *Equus est animal*, prædicatur *formaliter*, i. e. ratione actûs Judicii, genus de specie; & quando dico: *Petrus est homo*, prædicatur *formaliter* species de individuo. Quia actus Judicii eodem modo repræsentat prædicatum in his propositionibus, quo modo per apprehensionem præviam repræsentatum fuit. Propterea tamen non sequitur, quòd de equo prædicetur animal *ut genus*, & de Petro prædicetur homo *ut species*, cum & animal & homo prædicentur sine statu, secundum suas naturas *essentialiter* acceptas. Nec sequitur equum esse *genus*, aut Petrum esse *speciem*, cum subjecto propositionis affirmativæ id solùm conveniat de prædicato, quod prædicato *essentialiter*, & *intrinsecè* convenit; non verò id, quod prædicato *accidentaliter* duntaxat.

dun-

duntaxat convenit, & extrinsecè; Aliàs equus aut Petrus etiam foret prædicatum. IV. Dum affirmo, Petrum esse hominem, natura humana & contracta, & abstracta est, *contracta* ex parte subjecti, *abstracta* ex parte prædicati. *Nec obstat*, quòd actus iudicii sit simplex qualitas; Est enim simplex qualitas, fateor; sed præterea Virtualiter est duplex; cùm sit repræsentatio prædicati, & subjecti, quæ ratione distinguuntur. V. Dum Universale prædicatur actu, manet adhuc prædicabile, non quidem *potentiâ purâ*, & excludente omnem actum, quale est, antequam actu prædicetur; sed *potentiâ mixtâ*, quæ actum aliquem includit. VI. Sensus externi non faciunt Universale; sensus enim, teste *Aristotele*, est singulare, intellectus Universalium. Quando verò idem Philosophus dicit, quòd objectum oculi non sit color hic, vel ille, sed color. Nihil aliud intendit, quàm quòd oculus non necessariò determinetur ad unum colorem, sed quòd omnes respiciat, & quemlibet in singulari. *Vide etiam* n. 212.

§. II.

Quæ sint Affectiones Universalis?

278. *Dico*. Ex ipso *Aristotele* variæ assignantur Universalis affectiones, secundùm varias considerationes, quibus spectari potest. I. Si consideretur in ordine ad tempus, est *æternum*, non quidem *quoad existentiam realem*, & positivè; cùm præter Deum nihil positivè
ab

ab æterno existat: Nec *quoad existentiam objectivam* seu *rationis*, quam ab intellectu accipit; sed *ratione essentiali*, sive prædicatorum essentialium, quæ omni tempore, quo Universale existit, ei conveniunt. Æternitatem hanc *negativam* appellat D. *Thomas*, dicitque Universalia æterna esse, quatenus nulli tempori addiuntur. Hinc de Universalibus complexis in materia necessaria fiunt propositiones æternæ veritatis; nam verbum *est* in materia necessaria à tempore abstrahit. Unde quocumque tempore hanc proferas propositionem: *Homo est animal rationale*, semper est vera; & velidè juxtà *Aristotelem* *Universalis sunt semper*.

2. Si spectetur in ordine ad locum, est *ubique*, & *immensum*, tum *negativè*, quatenus ex se indifferens est, ut in diversis locis per sua singularia existat, & quatenus hæc v. g. propositio: *Petrus est animal*, semper vera est, quocumque demum in loco proferatur. Tum *positivè*, non quidem *simpliciter*, sic enim immensum esse soli Deo convenit; sed *secundùm quid*, quatenus in iis locis omnibus est, in quibus ejus singularia existunt.

3. Si sumatur in ordine ad actionem agentis, *ingenerabile* est, & *incorruptibile*. Universale enim *per se* nec generatur, nec corrumpitur; sed *per accidens*, & ratione singularium, quibus inest, non enim nascitur, aut moritur *animal ut sic*, sed hoc animal v. g. Petrus, Paulus vel Molossus &c.

4. Si

4. Si spectetur in ordine ad potentiam abstrahentem, est *insensibile*; *per se* enim non sentitur, sed *per accidens* tantum, & ratione singularium. Inde consequitur, Universale nec per externum, nec per internum sensum fieri per se; versantur enim sensus tantum circa sensibilia per se.

5. Si consideretur in ordine ad cognitionem, *Universalis, juxta Arist. 1. phys. c. 1. notius est, quàm minus Universale quoad se*: Quia cognitio totius actualis distinctè haberi nequit, quin partes ejus essentielles cognoscantur; sed Universaliora sunt partes essentielles minus Universalium; sic *hominis*, qui est terminus minus Universalis, partes essentielles sunt *substantia, corpus &c.* quæ Universaliora sunt.

6. Si consideretur in ordine ad singularia, *prius est illis*, non quidem *tempore*, & *existentiâ*, sed *naturâ*, & *existendi consequentiâ*, quatenus benè argumentor à singularibus ad Universalia, v. g. sic: *Petrus est, ergo homo est*; non autem vicissim.

7. Universale vel *materiale*, vel *immateriale* est, respectu inferiorum, in quibus fundatur. Hæc si materialia sint, etiam Universale materiale dicitur, si spiritualia, spirituale nuncupatur.

8. Relativè ad inferiora est *totum potentiale*, quia multa potentiâ complectitur ut partes: Sic genus continet potentiâ species, species individua, quibus secundum se totam intensivè sumptam apta est inesse, & de illis prædicari.

279. Ex his inferes & resolves sequentia *paradoxa*. I. *Universalia semper sunt, & nunquam.* *Semper*, quatenus nulli tempori adduntur, & in materia necessaria de illis fiunt propositiones semper veræ. *Nunquam*, quatenus ut talia per se non habent existentiam realem positivam, sed fundamentaliter existunt in singularibus. II. *Universalia ubique sunt & nullibi.* *Ubiqve negativè; nullibi per se*, sed tantum per accidens ratione Singularium, quæ fiunt in loco. III. *Universale est ubiqve positivè, & non est ubiqve positivè.* *Est*, nimirum secundum quid; *non est*, scilicet simpliciter, ut Deus. IV. *Universale non est homo, nec nunc, sed semper, & ubiqve.* ut inquit *Arist. lib. 1. Poster.* Hoc resolvere ex præcedentibus, pronum est. V. *Universalia magis sunt, quàm particularia;* Eoquod non sint temporalia per se, nec per se generentur aut corrumpantur, sicut singularia. VI. *Universaliora notiora sunt, quàm minus Universalia,* ut fert pronuntiatum philosophicum; & tamen illa *difficiliora cognitu sunt, quæ magis Universalia,* quod alterum est Philosophorum pronuntiatum. *Notiora* sunt quoad se juxta explicationem suprâ affectione quintâ datam. *Difficiliora cognitu sunt quoad nos, & sensus nostros,* à quibus cognitio initium ducit; nam minus Universalia sensibus propinquiora sunt, quàm magis Universalia (intellige præcipue prima scientiarum principia, quorum cognitio ex terminis habetur) qui enim viâ inventio-

Q

nis

nis cognitionem scientificam acquirit, ab Universalibus, sensui vicinioribus, ad Universaliora progreditur.



DISPUTATIO III.

De Universalibus in specie & Individuo.

280. **D**iffertatio de Universalibus in specie alio nomine *Ifagoge Porphyrii* appellatur ab $\epsilon\iota\sigma$ in, & $\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ ductio; propterea quod *Porphyrius* Phoenix, qui una cum *Origene* Philosophiæ Platoniciæ sub *Plotino* seculo Christi tertio operam navavit suam, & ex Judæo Christianus, ac rursus ex Christiano Judæus factus est, in *Chrysaorii* discipuli sui gratiam, Tractatum de quinque vocibus, seu prædicabilibus conscripserit, quò perfectius eum in notitiam de prædicamentis Aristotelicis introduceret. Tractatum hunc *Porphyrii* à malè scriptis perpurgatum magni semper fecerunt Philosophi etiam Christiani, ac propter multiplicem utilitatem suam publicis etiam prælectionibus censuerunt dignissimum. Horum iudicio, eruditisque eorum ac doctissimis in *Ifagogen Porphyrii* elucubrationibus non possum, si sapere velim, non acquiescere, eisque suffragari. Ne autem, quod intus iudico, verbisque assevero, factis negem, doctrinam